

mobile, necesse est dicere talem motum subiectari in mobili, quòd si hoc verum sit in illo casu, cur non verificabitur etiam in alijs casibus? nam quando aliquid est de se tale, semper debet esse tale: si ergo in prædicto casu per se motus localis subiectetur in mobili, ergo & semper subiectabitur in mobili; si enim per se subiectaretur in aëre circumstante, absente aëre, aut alio corpore circumstante, nullus fieret motus localis, sed posito vacuo in hoc cubiculo nunquid Angelus posset mouere lapidem ab vna parte huius cubiculi ad aliam? nemo id negare potest, & licet ille motus non esset propriè localis, cum in vacuo non sit propriè locus extrinsecus, attamen reuerà esset motus ab vno *vbi* ad aliud *vbi*, qui non potest dici nisi localis: euident ergo est, quòd motus localis subiectetur in mobili, id est in re, quæ mouetur, non verò in corpore circumstante.

Propositur
& soluitur
argumentum
Socinatis.

Nec argumentum Socinatis multum vrget: est autem istud: Non oportet omnem motum esse in mobili, nisi etiam forma acquisita sit in eo mobili subiectiue: sed hoc non contingit in motu locali, quia motus localis est ad locum; locus verò non subiectatur in locato, sed est v. g. aër, qui est ambiens locatum, ergo quandoquidem locus non subiectatur in locato, neque motus ad locum subiectabitur in locato, quod locatum est ipsum mobile: Addit præterea Socinatus, quòd quando mobile non mouetur ad aliquem locum, tunc sit illa res, quæ est motus localis: sed tunc non habet rationem motûs; quia non est *in acquiri*; per hoc vult dicere Socinatus, quòd quando mobile non mouetur ad locum, tunc mobile, & motus sunt vna, eadèmq; res.

Respondeo fundamentum Socinatis esse falsum; supponit enim motum localem tantummodò esse ad locum extrinsecum, vt ad suum proprium terminum, hoc inquam falsum est; quia motus localis habet pro proprio suo termino ipsum *vbi*, quod & satis communiter dicitur locus intrinsecus; at verò corpus ambiens est locus extrinsecus, estque terminus per accidens motûs localis, quare in vacuo rectè fieret motus localis, vt ostendimus in *Metaphys. part. de loco, & vacuo*; falsum quoque est, quod ait, quando mobile non mouetur ad aliquem locum, tunc est illa res, quæ est motus localis & tunc non habet rationem motûs; quia non est *in acquiri*; falsum inquam est, quòd non sit *in acquiri*; nam lapis positus in vna parte huius cubiculi, in quo est vacuum, potest acquirere *vbi* in altera parte huius cubiculi, & per consequens illud *vbi* est *in acquiri* respectu lapidis positi ex altera parte, an autem motus sit res distincta à mobili, & termino? dicitur sequenti partitione.

Partitio III.

De distinctione motûs à mobili, & termino.

De distinctione
motûs à
mobili &
termino.

Quæritur v. g. dum calor producitur in aqua, quomodo ipse fluxus calor distinguatur ab ipsa aqua, & ipso calore, qui est terminus ad quem talis fluxus: præcipuè autem proponitur hæc difficultas de distinctione motûs à termino,

eodem tamen modo loquuntur authores de vtroque quæsitio.

Circa hæc duæ sunt oppositæ sententiæ: Prima est Gregorij Ariminensis in 2. *distinct. 1. quæst. 4.* Alberti de Saxonis 3. *Phys. quæst. 4. & 5.* Ferrarientis *ibidem quæst. 2.* & quorundam recentiorum, atque communis inter Nominales dicentes motum non distingui à termino, & à mobili, nisi per intellectum, dicitur apertè Ariminensis, quòd motus non sit entitas secundum se distincta ab entitatibus permanentibus.

Contraria opinio assignans distinctionem ante opus intellectûs, non quidem realem maiorem, sed aut modalem, aut formalem, est communior inter Recentiores, pro qua licet citetur Aureolus in 2. *distinct. 1. quæst. 1. art. 1.* ipse tamen specialem habet doctrinam de motu, non enim tantum distinguit motum à termino, sed & ait, quòd motus essentialiter non sit aliud, quàm generatio partis post partem ipsius formæ, nec sit via ad formam, nec fluxus illarum partium sibi succedentium: fundamentum Aureoli in fine proponemus, & destruemus. Secundo ait Aureolus, quòd motus aspiciat formam tanquam terminum, quia forma acquiritur successiuè tanquam terminus per generationem successiuam continuam. Deinde aspiciat eam vt subiectum, ita vt motus sit subiectiue in illa forma; sed hoc etiam impugnabimus in fine partitionis. Placet autem vtramque allatam de distinctione motûs à termino, & mobili opinionem problematicè defendere; quare prima Resolutio continebit fundamenta Nominalium, & responiones ad ea: In altera rationes oppositæ sententiæ proponuntur, & carum infirmitas detegetur. Deinde duo prædicta Aureoli dicta examinabuntur.

DECISIO.

Resolutio prima: Rationes negantes motum distingui ante opus intellectûs à mobili, & termino hæc sunt præcipuæ, quæ tamen non sunt demonstratiuæ, quandoquidem solubiles sunt, vt patebit ex responionibus ad eas dandis.

Nm. 10.
Rationes negantes motum distingui à mobili & termino ante opus intellectûs ponuntur, & soluantur.
Prima.

Prima sit: Quod non est aliud ab alio, non distinguitur ab eo: sed ex 3. *Physic. cap. 1.* motus non est aliud præter res, ad quas terminatur, ergo non distinguitur à suo termino.

Respondetur communiter concedendo maiorem, & explicando minorem; dum enim Aristoteles ait, quòd motus non sit aliud præter res, &c. debet sic intelligi, nempe quòd motus non pertineat, nisi ad illa prædicamenta, in quibus sunt termini motûs, cumque vt diximus *primâ partitione*, propriè dictus motus non sit nisi ad prædicamenta earum rerum, quarum est motus, euidenter sequitur motum non esse aliam rem categoricam, id est non poni in alia categoria, quàm in ea, in qua ponitur ipsius terminus.

Resp.

Secunda: Quæ tantum distinguuntur vt in fieri, & vt in factò esse, illa non distinguuntur ante opus intellectûs: sed ita se habet motus, & eius terminus; nam v. g. motus calor nihil est aliud, quàm ipse calor in fieri.

Secunda.

Respondeo negando maiorem; res enim in fieri, & in factò esse distinguuntur ante opus intellectûs aut formaliter, aut ex natura rei, aut moda-

Resp.